Sigismundus Dei gracia Rex Polonie, Magnus dux Lithvanie, Russie, Prussie, Masovie etc. dominus et heres.

Generose fidelis dilecte, volumus et mandamus tibi, emas ad racionem pecuniarum nostrarum, tot numero, et eorum generum stamina panni, quot et quorum anno superiore per te mandato nostro empta et in Lithvaniam erant missa, que simul atque emeris, in Lithvaniam quoque mittas, non per mare, sed, quod tucius securiusque esse putamus, terrestri itinere. Tu vero, rebus istic nostris, administracioni et cure tue commissis, recto ordine constitutis et relictis, ad nos sine mora accurras, racionem nobis reddicturus.

Datum Cracovie, die ultima Junij. Anno domini Millesimo quingentesimo quadragesimotercio, Regni nostri anno tricesimoseptimo.

Sigismundus Rex